



## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Tertiam Partem Summæ Theologiæ. Cum Commentariis  
Reuerendiss. D. Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Sixti, Et Opvscvlis  
Eivsdem In tres Tomos distinctis

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

4. Vtrum sacramentum sit signum, quod est res sensibilis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72797](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72797)

nostra, quae est passio Christi: & forma nostra sanctificationis, quae consistit in gratia & virtutibus, & vitium finis sanctificationis nostrae, qui est vita aeterna: & haec omnia, per sacramenta significantur. unde sacramentum est & signum rememorative eius quod praecessit, scilicet passionis Christi, & demonstrativum eius quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet gratiae, & prognosticum, id est, praenuntiativum futurae gloriae.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod tunc est signum ambiguum, praebens occasionem fallendi, quando significat multa, quorum unum non ordinatur ad aliud: sed quando significat multa, secundum quod ex eis quodam ordine efficitur unum, tunc non est signum ambiguum, sed certum: sicut hoc nomen homo, significat animam & corpus, prout ex eis constituitur humana natura. Et hoc modo sacramentum significat tria \* praedicta, secundum quod quodam ordine sunt unum.

AD SECUNDUM dicendum, quod sacramentum in hoc, quod significat rem sanctificantem, oportet quod significet effectum, qui intelligitur in ipsa causa sanctificante, prout est sanctificans.

AD TERTIUM dicendum, quod sufficit ad rationem sacramenti, quod significet perfectionem, quae est forma: nec oportet quod solum significet perfectionem, quae est finis.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum sacramentum sit semper aliqua res sensibilis.

Super Quaestiones sexagesime articulum quartum.

Titulus clarus. Res sensibiles, pura, aqua, oleum, panis.

AD QUARTUM sic proceditur. Videtur, quod sacramentum non semper sit aliqua res sensibilis: quia secundum Philosophum in lib. Priorum, omnis effectus suae causae signum est: sed sicut sunt quidam effectus sensibiles, ita sunt quidam effectus intelligibiles, sicut scientia est effectus demonstrationis. ergo non omne signum est sensibilis. Sufficit autem ad rationem sacramenti, quod sit signum alicuius rei sacrae, in quantum per eam homo sanctificatur, ut dictum est. non ergo requiritur ad sacramentum, quod sit aliqua res sensibilis.

¶ 2. Praet. Sacramenta pertinent ad cultum, vel regnum Dei: sed res sensibiles non videntur pertinere ad cultum Dei: dicitur enim Ioan. 4. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare: & Roma. 14. Non est regnum Dei, esca & potus. ergo res sensibiles non requiruntur ad sacramentum.

¶ 3. Praet. Aug. \* dicit in lib. de libero arbitrio, quod res sensibiles sunt minima bona, sine quibus homo recte vivere potest: sed sacramenta sunt de necessitate salutis humanae, ut infra \* patebit, & ita sine eis homo recte vivere

A non potest, non ergo res sensibiles requiruntur ad sacramenta.

SED CONTRA est, quod Aug. \* dicit super Io. Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Et loquitur ibi de elemento sensibili, quod est aqua. ergo res sensibiles requiruntur ad sacramenta.

RESPON. Dicendum, quod sapientia divina unicuique rei prouidet secundum suum modum, & propter hoc dicitur Sapient. 8. quod suauiter disponit omnia. unde & Matth. 25. dicitur, quod dedit unicuique secundum propriam virtutem. Est autem homini conaturalis, ut per sensibilia perueniat in cognitionem intelligibilem. Signum autem est, per quod aliquis deuenit in cognitionem alterius. unde, cum res sacrae, quae per sacramenta significantur, sunt quaedam

B spiritualia & intelligibilia bona, quibus homo sanctificatur, consequens est, ut per aliquas res sensibiles significatio sacramenti impleatur: sicut etiam per similitudinem sensibilibus rerum in diuina scriptura, res spirituales nobis describuntur. Et inde est, quod ad sacramenta requiruntur res sensibiles, ut etiam Dionys. probat in 1. cap. \* caelest. hierar.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod unumquodque praecipue denominatur & definitur secundum id, quod conuenit ei primo & per se, non autem secundum id, quod conuenit ei per aliud. Effectus autem sensibilis, per se habet quod ducat in cognitionem alterius, quasi primo & per se homini innotescens: quia omnis nostra cognitio a sensu oritur: effectus autem intelligibiles non habent quod possint ducere in cognitionem alterius, nisi in quantum sunt per aliud manifestati, id est, per aliqua sensibilia. Et inde est, quod primo & principaliter dicuntur signa, quae sensibus offeruntur: sicut August. dicit in 2. \* de doctrina Christiana. ubi dicit quod signum est, quod praeter speciem quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire: effectus autem intelligibiles non habent rationem signi, nisi secundum quod sunt manifestati per aliqua signa. Et per hunc etiam modum, quaedam quae non sunt sensibilia, dicuntur quodammodo sacramenta, in quantum sunt significata per aliqua sensibilia, de quibus infra agetur. \*

D AD SECUNDUM dicendum, quod res sensibiles, ut in sua natura considerantur, non pertinent ad cultum vel ad regnum Dei: sed solum secundum quod sunt signa spiritualium rerum, in quibus regnum Dei consistit.

AD TERTIUM dicendum, quod Aug. ibi loquitur de rebus sensibilibus, secundum quod sunt in sua natura: non autem secundum quod assumuntur ad significandum spiritualia, quae sunt maxima bona.

ARTICVLVS V.

Vtrum requirantur determinatae res ad sacramenta.

AD QUINTUM sic proceditur. Videtur, quod non requirantur determinatae res ad sacramenta. Res enim sensibiles assumuntur in sacramentis ad significandum, ut dictum est: sed nihil prohibet diuersis rebus sensibilibus idem significari: sicut in sacra scriptura Deus aliquando metaphoricè significatur per lapidem, quando

litudines innotescunt. Secundo, probatur conclusio auctoritate Dionysij.

Tract. 80. in euang. Ioan. post mediu. tom. 9.

Cap. 1. inter med. & fin.

Lib. 2. de doctr. Christi. circa prime. lib. tom. 9.

quest. 63. ar. 1. ad 2.

Super Quaestio. 60. Artic. quintum.

Titulus clarus. In corpore vna est conclusio responsiva quaestio: In sacramentis nouae legis oportet uti rebus ex diuina institutione determinatis. Probatur: Non pertinet ad aliquem determinare, quod in alterius, sed quod est in sua potestate: sed sanctificatio

Infra art. 7. cor.

Art. 3. huius quest.

Tertia S. Thomae. AA 3 est

Yo. 1. 1. 1.

lib. 1. 1. 1.

lib. 1. 1. 1.

lib. 1. 1. 1.

quest. 63.